e-codices

tabo hoc est in corde meo et psallam in opere. Sicut psalterium ex multis chordis compositum est. et si una chorda rupta fu
erit exterminatur psalterium. ita et in actibus nostris si unum mandatum praetergressi fuerimus psalterium nostrum ruptum est. Ideo dicit
cantabo et psallam in gloria mea. Exurge i. de sepulchro psalterium et cythara. Vox patris ad filium. Corpus domini psalte
rium fuit cum praedicabat. Cythara resurgendo a mortuis. Exurgam diluculo. Vox Christi. quando diluculo a mortuis
surrexit. Confitebor tibi. Apostoli alicuius vox est. qui Christum a mortuis suscitatum in omnibus gentibus praedicaturus sit. Lau
daturus. et cantaturus. In nationibus. i. in gentibus; ad quas directi apostoli mandata eius sanctis praedicationibus impleverunt.
Quia magna super caelos misericordia tua. Misericordia et veritas dei patris quae filius est. magna est super caelos. hoc est sanctos
quos redemit. et usque ad nubes veritas eius pervenit. quia usque ad apostolos filius dei se ipsum condescendere voluit. Ex
altare s. c. deus. Quia viderat propheta spiritu Christum a mortuis suscitatum et glorificatum. hortatur. ut etiam glorificetur
per ascensionem quatinus electorum animae a poenis gehennalibus liberarentur. et gentium captivitas per praedicationem apostolorum
solveretur. Salvum fac. s. me dextera tua. Rogat propheta et se salvandum cum gentibus per dexteram patris dicens. Sal
vum fac dextera tua. i. per filium tuum libera me. et exaudi petitionem meam. Deus locutus est in sancto suo. Deus pa
ter locutus est in filio suo. Exultabo et dividam sicimam. i. gentilitatem quae interpretatur humerus vel labor. et sig
nificat oboedientiam non bonam. Quia oboediebant demonibus. divisit dominus exultando discipulis suis ad praedican
dum. Et convallem tabernaculorum dimetiar. Convallem etiam tabernaculorum dimensus est. quia quosdam iudeorum ad fidem voca
vit. Meus est galaad. Galaad quod interpretatur acervus testimonii. et significat sanctos martyres. Christo est per fidem. Ut gala
ad latina lingua dicitur transmigratio. quae re vera domini est. quando gentes ipsius vocatione coniunctae ad deum
feliciter migrarunt. Manasses. qui interpretatur oblivio. populus gentilis. qui oblitus est idola sua. Christo est. Et effraim
susceptio capitis mei. Effraim interpretatur fructificatio. Caput sanctae ecclesiae Christus est. qui suscipiens spineam co
ronam fructum bonorum operum contulit ecclesiae. Dicit ergo ecclesia. susceptio capitis mei. hoc est passio Christi et spinea co
rona quam pro me ipse suscepit est mihi effraim. i. fructificatio bonorum operum quia nisi ille pateretur fructu bonorum operum
careret. Iuda rex meus. Dicit ergo sancta ecclesia. Iuda. i. Christus. est deus meus et rex meus. Moab lebes spei meae. Moab significat
persecutores ecclesiae. vel lebete tribulatio martyrum. Spes illorum est remuneratio patriae caelestis. Moab ergo. i. persecutores
sunt lebes. i. tribulatio ecclesiae per quam tribulationem sperat remunerationem. Moab ut beato ieronimo placet. inter
pretatur ex patre. quod est sine patre. db. quippe dicitur pater mo. ex. Unde diabolum vult intellegi qui malis
operationibus deum non habet patrem. sed iustum iudicem. Iste ergo moab quomodo lebes spei domini est. Lebes interpretatur olla.
quomodo illa spei domini est. Ergo credibile est ut moab qui diabolum significat. lebes spei domini sit. Sic dicit apostolus. quos
tradidi sathanae. ut discant non blasphemare. Diabolus quasi questionarius domini est. Qui non recte ambulant
a domino traduntur diabolo. Quare. ut pereant in aeternum. et ubi clementia dei. ubi misericordia patris. ubi est qui facit so
lem suum oriri super iustos et iniustos. et pluit super iustos et peccatores. Ad hoc dicit moab lebes spei meae. hoc est trado
inquit peccatores diabolo. ut ab ipso cruciati convertantur ad me. Dicit quoque in ieremia. quid tu vides iere
mia. ollam succensam inquit. Videte ergo quomodo in ista olla mittuntur carnes. hoc scriptum est in ezechiel. et mitto
inquit carnem in olla ut mollia fiant et dura convertantur ad deum. ut ex corde lapideo fiat cor meum. et ubi
prius non poterat scribi propter duritiam. postea scribatur per molliciem. Succendam inquit hanc ollam et excoquam car
nes eius et ossa. usque dum amittat omnem humorem et illuviem. et unde postea quid dicatur. et discant inquit quia ego
dominus. Magna misericordia et magnum sacramentum. Mittuntur carnes in olla ut excoquantur. et discant quia dominus est. Multa sunt
quae dicuntur de moab et olla. sed nunc longum est dicere ista tamen sufficiant paucis. In idumeam extendam calciam
entum meum. Dicit Christus dominus. per praedicationem apostolorum calciamentum suum. i. misterium suae incarnationis extensurus sit in i
dumeam. quae interpretatur terrena et sanguinea. et significat gentilitatem. quae cum a deo esset aliena. facta est eius
amica. Misericors deus non solum caelestia vult possidere. sed et terrestria. Calciamenta enim evangelium significat.
quia dominus usque ad homines terrenos extendens legem suam. mundum universali praedicatione complevit. Mihi alienige
nae amici facti sunt. Significat autem populum christianum. qui diversis gentibus ipsius miseratione collectus est.
Quis deducet me in civitatem munitam. Nemo domine nisi tu es enim qui dicis torcular calcavi solus. et de gentibus

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 225 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos
(http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/225)